

tenentur, et quales de facto exstiterunt per longa saecula. Tunc autem hujus juris exercitium valde prodest, ut testatur historia.

340. *Ad 10.* Si probe intelligatur doctrina a nobis tradita, nihil habet quod juste offendat bonos principes; solis malis displicebit, de quibus non curandum. At valde caeteris proderit, quia eorum auctoritas per directionem Ecclesiae, et sapientior, et fortior, et fructuosior efficietur. Et revera, ex quo reges et principes Ecclesiae jugum excusserunt, jam multitudinis judicio evaserunt obnoxii, eorumque conditio pejor facta est, ut satis ostendit luctuosa rebellionum fere continuarum successio.

341. *Ad 11.* Non negamus jure humano Papam habere posse et revera habuisse aliquam potestatem in causis temporalibus; nimirum: 1° si a principibus eligatur tanquam arbiter ad lites de hujusmodi causis componendas; 2° si principes se Papae constituent feudatarios, sua regna illius tutelae committendo, ea lege, ut, ubi conditiones pacti violaverint, imperium ab eis auferatur et tradatur alteri; 3° si, ex jure passim apud christianas gentes introducto, certa delicta aut certae poenae ecclesiasticae secum importent civiles effectus, etiam spoliandi ab omni temporali dignitate; quia tunc Papa de praefatis delictis judicans, aut has poenas infligens, indirecte res temporales attingit.

At contendimus hos titulos nequaquam sufficere ad vindicandam Ecclesiae potestatem, qualis evincitur argumentis modo allatis, tum ex Scriptura, tum ex doctrina scholasticorum, tum ex modo loquendi et agendi Pontificum, tum ex ratione. Insuper, auctoritas

Pii IX, Leonis XIII, et recentiorum theologorum demonstrat hanc Ecclesiae potestatem hodie non cessasse, licet jam esse desierint feudatarii Papae, nec amplius vigeat jus illud commune quod mediae aetati adscribitur. Ergo haec potestas habet fundamentum necessarium et universale, seu, nititur jure divino.

DISSERTATIO TERTIA

DE PRAECIPUIS OFFICIIS SOCIETATIS CIVILIS ERGA
ECCLESIASTICAM

342. Primo exponendus est error Liberalismi quo societas civilis a suis erga Ecclesiam officiis plus minusve eximitur; dein, haec eadem officia indicanda et demonstranda erunt; quorum alia, ex solo jure divino profluentia, sunt aut negativa aut positiva; alia vero ex jure humano per concordata introducto oriuntur. Quae omnia quinque quaestionibus absolvemus.

QUAESTIO I^a

In quo consistat error Liberalismi?

(Vide D. Benoît : *les Erreurs modernes*, t. 2. p. 230. — Brugère : *de Eccl.*, append. XIII. — Liberatore : *l'Egl. et l'Etat.* — Moulart : *l'Egl. et l'Etat.*)

343. Resp. Nonnulli, ut vidimus n. 250... 255, necnon 182, falluntur circa societatis civilis erga Ecclesiam officia, tribuendo communitati fidelium aut principibus saecularibus jura indebita super res sacras;

qui omnes Ecclesiam cum Statu confundere videntur. Error autem Liberalismi, duas societates, spiritualem et temporalem, e contrario ab invicem nimium disjungit, ita ut constituat Statum civilem plus minusve erga Ecclesiam indifferentem, aut etiam infensum.

Duplex Liberalismus distinguitur : *Liberalismus anticatholicus, et liberalismus nonnullorum catholicorum.*

I. Liberalismus anticatholicus nullum agnoscit in Ecclesia jus ad libertatem civilem, quod ex ejus divina institutione procedat; sed illud tantum quod cuilibet humanae associationi in se licitae convenire potest. Cum autem nulla in Statu civili humana associatio habeatur ut licita, nisi sit legibus consentanea, hinc, quando dantur leges quibusdam Ecclesiae institutis repugnantes, Ecclesiae libertas juste restringitur; omnis enim lex est voluntatis generalis expressio, et nihil huic voluntati generali resistere potest; siquidem suprema potestas residet in populo, qui est omnis auctoritatis, omniumque jurium primarius fons. Unde humana societas prorsus huic generali voluntati subjacet, estque regenda nullo habito ad religionem, saltem positivam, respectu, perinde ac si non existeret.

II. Liberalismus nonnullorum Catholicorum sic dicitur, non quod in se revera cum doctrina catholica consentiat, sed quod ejus propugnatores Ecclesiae Romanae divinitatem admittant, et inter ejusdem filios devotissimos computari velint. Duplex est : unus quem vocabimus *theoreticum*, quia de juribus Ecclesiae non judicat secundum veritatem; alter quem vocabimus potius *practicum*, quia, quamvis rectius de juribus

Ecclesiae judicet, ab ea tamen, in suorum jurium exercitio, indebitas ac periculosas petit cum principiis aetatis modernaë compositiones.

1° Prior ergo Liberalismus *theoreticus* confitetur Ecclesiam divinitus fuisse institutam, et ideo jus inconcussum et inviolabile possidere ad omnimodam libertatem, seu, ad fruendum omnibus commodis sine quibus non possent perfecte observari officia religionis. Hinc, non licet principi civili hanc libertatem vel tantisper restringere, v. g. educationem puerorum Ecclesiae auferendo, sacerdotes, aut juvenes sacerdotio destinatos militiae saeculari adstringendo, communitates religiosas prohibendo, processiones publicas cultus catholici interdicens, etc... At hujus systematici fautores volunt simul nihil amplius Ecclesiae jure divino deberi; ac proinde hanc societatis civilis conditionem, juxta quam omnes cultus pacem publicam non perturbantes, aequalibus juribus potiuntur in civitate, non esse quid in se deordinatum, ac Evangelio contrarium.

Non repugnat equidem, juxta eos, si condantur leges Ecclesiae specialiter faventes; et haec privilegia sapienter concedi potuerunt, ubi locorum et temporum circumstantiae illorum necessitatem demonstraverint, et quando feruntur hujusmodi leges, princeps ex officio suo politico illarum executionem premere tenetur. Mutatis autem circumstantiis, ex quo praesertim tempore, apud gentes catholicas, sectae multiplicatae sunt, praefata privilegia revocari debuerunt, et auctoritas civilis sedulius cavere ne se in negotiis religiosis intromitteret. Attamen talis abstentio, secundum se et absolute considerata, spiritui evangelico

conformior bonoque Ecclesiae utilior dicenda est. Data enim omnibus cultibus aequali libertate civili, jam vera religio, sola persuasionis via propagabitur et florebit. Ergo melius praecavebuntur principum usurpationes et vexationes, qui, sub praetextu Ecclesiam protegendi, eam conantur opprimere; ergo homines ad illam accedent cum majori libertate, fiducia et amore; ergo splendidius apparebit virtus illa divina quam a suo fundatore hausit; Christus enim qui solam pro ea libertatem ab imperantibus exigit, certe omnipotenti sua assistentia procurabit, ut, absque humanis praesidiis, mirabilius fructificet. Nedum igitur, sub hoc respectu, praeteritarum aetatum conditio sit desideranda, potius nobis gratulandum est quod, civilitatis hodiernae progressu, hominum mentes ad hanc pervenerint ingenuam nobilemque independentiam, ut illorum religiosa institutio nullo jam coercitionis stimulo indigeat; ergo haec praesens societatum ratio confirmanda est, non reformanda, utpote in se optima.

Praeterea, juxta eosdem, in vindicandis coram gubernio civili Ecclesiae juribus, argumentum ex divina illius origine afferre non expedit. Cum enim Status, qua talis, religionem catholicam profiteri non teneatur, et possit inter varios cultus positivos manere indifferens, ad eum non pertinet motiva credibilitatis ponderare. Praestat igitur invocare principia libertatis communis, in celebri jurium hominis declaratione anni 1789 contenta, quae declaratio jam diu, apud nos, ad instar normae inviolabilis praevaluit. Nam ex ea jus Ecclesiae ad libertatem ita evidenter et necessario eruitur, ut jam, absque manifesta contradictione, denegari non possit.

2° Liberalismus *practicus* agnoscit Ecclesiae, ex Christi ipsius voluntate, non solum competere jus ut ubique liberè exerceatur, sed etiam ut habeatur exclusive veluti religio Status, a quo, prae caeteris quibuscumque cultibus, fovenda ac protegenda est. Attamen, contendit hanc ultimam obligationem, attentis praesentibus circumstantiis, jam amplius impleri non posse; quia haec protectio exclusiva plus Ecclesiae noceret quam prodesset. Sane conditio illa societatis modernae, impediens legis divinae observantiam, deflenda est, utpote ex hominum vitio orta; sed jam facta est irremediabilis; et velle populos ad mediae aetatis statum reducere, foret inutiliter et periculose perfectionem mere idealem prosequi. Ergo expedit ut Ecclesia, juri quod habet ad libertatem et protectionem exclusivam in civili Statu, definitive et irrevocabiliter renuntiet; quae, caeterum, renuntiatio majoris boni occasio, Deo misericorditer providente, evadet, uti supra observatum est. Omnia igitur consectaria practica Liberalismi theoretici admittenda sunt, erroneam ejus doctrinam respuendo.

3° Ex praedictorum errorum expositione patet qualiter, juxta eorum assecclas, accipiendi sunt duo aphorismi ab illis saepius usurpati.

1^{us} est: *Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est*. Illa separatio a Liberalibus anticatholicis intelligitur *absoluta*, ita quod Status, in ferendis legibus, nullam habeat Ecclesiae rationem, sed tantum utilitatis temporalis. Proinde, si haec utilitas quandoque persuadeat aliquid statuere bono Ecclesiae adversum, id poterit civiliter imponi. A Liberalibus catholicis

intelligitur separatio *relativa* tantum, in eo consistens ut Status Ecclesiae nec injuriam irroget, nec tamen specialem opem ferat.

2^{us} est : *Ecclesia libera in Statu libero*, ut ait D. Cavour; vel potius, ut mavult Montalembert : *Ecclesia libera et Status liber*; quae ultima formula ideo praefertur, quia in priori innuitur Ecclesiam esse in Statu, sicut pars in toto. Ille aphorismus Liberalibus anticatholicis non placet, cum Ecclesiam jure esse liberam non agnoscant, nisi in quantum civilis utilitas non poscat eam in servitutem redigi. Hunc autem suum faciunt Liberales catholici, non quidem eo sensu quod Ecclesia et Status nullo officio ad invicem teneantur, siquidem volunt a principibus Ecclesiae libertatem assecurari. Dicunt ergo Ecclesiam liberam quam Status non opprimit, sed in suae libertatis exercitio pleno tuetur; Statum autem liberum, qui semel hac concessa libertatis protectione, ad nihil amplius erga Ecclesiam obligatur. Unde unaquaeque potestas independenter agit ab alia in suo ordine, ea tantum conditione ut alterius jura servet.

QUAESTIO II^a

Utrum liberum auctoritatis ecclesiasticae exercitium juste a principibus temporalibus impediri valeat?

(Vide passim canonistas, et Bouix : *de Papa*.)

344. Resp. Affirmant, ut diximus, Regalistae qui principibus, tanquam episcopis externis, attribuant nonnulla jura auctoritatis ecclesiasticae impeditiva, v. g. *jus placiti regii*, aut *appellationis ab abusu*; affirmant item Liberales anticatholici, juxta quos civi-

tas regenda est nullo habito ad Ecclesiam respectu. Contra hos omnes tria statuenda sunt, quibus patefiunt societatis civilis erga ecclesiasticam officia negativa.

345. Dico 1^o : *Principes temporales non possunt, suis ordinationibus, positive impedire liberum ecclesiasticae auctoritatis exercitium.*

Constat 1^o *ex jam supra stabilitis.*

Etenim, auctoritas vi cujus princeps impediret liberum ecclesiasticae auctoritatis exercitium, vel esset spiritualis, vel esset temporalis. Non prius : siquidem demonstratum est principibus, qua talibus, nullum competere jus circa res sacras ; non posterius : siquidem probavimus Ecclesiam esse societatem perfectam, in suo ordine supremam, et ab omni societate civili prorsus independentem.

Constat 2^o *auctoritate Leonis XIII.*

1^o In Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880 edita, docet Christum voluisse utramque potestatem, sacram et civilem, ad suas res agendas liberam atque expeditam, et addit : « Hoc tamen adjuncto... ut... in iis rebus quae sint, diversa licet ratione, communis juris et « judicii, altera, cui sunt humana tradita... ab altera « penderet, cui sunt coelestia concredita. » Certe si potestas civilis jus haberet sacram impediendi, foret praesertim in iis rebus quae sunt communis juris et judicii. Atqui tamen, in iis etiam rebus, ex Leone XIII, potestas civilis cedere tenetur potestati sacrae.

2^o In Encycl. *Immortale Dei*, ex eo quod Ecclesia sit societas genere et jure perfecta, concludit : « neque « debere, qui summam imperii teneant, committere « ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut « minus esse sinant ad suas res agendas liberam,

« aut quidquam de caeteris juribus detrahant, quae
« in ipsam a Jesu Christo collata sunt. »

3^o In Encycl. *Libertas*, 20 Junii 1888, sic de quibusdam mitioribus Liberalibus: « Mitiores aliquanto sunt,
« sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum
« divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse
« privatorum, non tamen civitatis; in rebus publicis
« fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo
« in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum
« illud gignitur consecrarium, civitatis Ecclesiaeque
« actiones dissociari oportere. Sed haec quam absurde
« dicantur haud difficulter intelligitur. Cum enim
« clamet ipsa natura, oportere civibus in societate
« suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste,
« scilicet, secundum Dei leges, degendam, quia
« Deus est omnis honestatis justitiaeque principium;
« profecto illud vehementer repugnat posse iisdem
« de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense
« statuere civitatem. » Ibi Pontifex fundamentum
Liberalismi anticatholici penitus evertit, et aperte
docet principi temporali ita de legibus divinis, ac
proinde de Ecclesiae juribus a Deo procedentibus esse
curandum, ut nihil iis infensum statuatur.

346. Dico 2^o: *Appellationes ab abusu ad principem saecularem sunt illicitae et invalidae.*

Appellatio ab abusu est recursus ad principem saecularem, facta ab eo qui per superiorem ecclesiasticum se injuste vexatum existimat.

Haec nostra conclusio est praecedentis corollarium evidens; nam haec appellatio eo tendit, ut per principem saecularem impediatur auctoritatis ecclesiasticae exercitium. Probatum insuper auctoritate et ratione.

1^o *Auctoritate*. Sic enim statuit Innoc. III. (Decret. lib. 2. tit. 1. c. XVII): « Nec pro defectu justitiae
« clerici trahantur a laicis ad iudicium saeculare,
« quod omnino fieri prohibemus. » — Conc. Trid. (Sess. XXV. De Reform. c. 3): « Nefas sit saeculari
« cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici,
« ne quem excommunicet; aut mandare, ut latam
« excommunicationem revocet, sub praetextu quod
« contenta in praesenti decreto non sint observata,
« cum non ad saeculares sed ad ecclesiasticos haec
« cognitio pertineat. » — Pius IX, in Constit. *Apostolicae Sedis* (§ 1. cens. VI), poena excommunicationis plectit eos qui causas ecclesiasticas ad forum saeculare deferunt; et in Syllabo damnat sequentem propositionem: « Civili potestati... competit... jus
« appellationis, quam nuncupant *ab abusu*. » (Prop. XLI.)

2^o *Ratione*. Concedimus dari posse ecclesiasticae auctoritatis abusum; sed haec materia est essentialiter ecclesiastica; non est igitur de principis saecularis foro, ac proinde ejus iudicium de talibus negotiis est illicitum et invalidum. Hinc, ubi aliquis fidelis se existimat a superiore ecclesiastico laesum, recurat ad tribunal ecclesiasticum superius. Neque dicas Papam ipsum posse excedere, non enim inde sequitur ipsius sententiam a principe saeculari esse reformandam; multo enim magis deficere et errare potest princeps. Ergo soli Deo tunc patet recursus, nec aliter in quacumque societate fieri potest, ubi quis conqueritur de sententia ejus qui supremum principatum gerit.

347. Dico 3^o: *Principes temporales non possunt,*

nisi ex peculiari et essentialiter revocabili Ecclesiae concessionem, impedire legum ecclesiasticarum obligationem, illarum acceptationem denegando; ac proinde jus quod vocant placitum regium, vel exsequatur, omnino rejiciendum est.

Jus placiti aut exsequatur in eo situm est, ut leges ecclesiasticae, etiam a superiore promulgatae, non obligent priusquam ab auctoritate civili recognitae et approbatae fuerint.

Nostra conclusio sequitur evidenter ex prima. Probatur tamen speciatim :

1° *Auctoritate Pie IX* qui, in *Encycl. Quanta cura*, reprobatur doctrinam asserentem « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; atque acta et decreta R. Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia, indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis. » — Item, inter propositiones in *Syllabo* contentas, vigesima haec est : « Ecclesiastica potestas auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu. » Et quadragesima prima : « Civili potestati... competit... jus quod vocant exsequatur. »

2° *Concilio Vaticano*, quod in *Const. Pastor aeternus*, de Ecclesia, c. 3, sic se habet : « Damnamus et reprobamus illorum sententias qui... eundem (R. Pontificem) reddunt saeculari potestati obnoxium, ita ut contendat, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmetur. »

3° *Traditione*. Si enim praedicta potestas ex se

principibus inesset, hanc non ignorassent reges et imperatores, et idcirco, data opportunitate, nimirum ferventibus dissidiis inter eos et Ecclesiam, hoc privilegium invocare non omisissent. Atqui tamen, ante Ludovicum XII Galliae regem, et annum 1475, nunquam actum est de hujus beneplaciti necessitate; e contrario, frequentissima sunt Patrum, Pontificum, imo et veterum imperatorum christianorum testimonia, quibus aperte declaratur principes nihil posse contra leges ecclesiasticas, sed potius strictius teneri ad obedientiae exemplum cunctis praebendum.

4° *Ratione*. Tribuenda non est principibus facultas haeresi ac schismati favens. Atqui talis esset facultas exsequatur : hac siquidem concessa, brevi per eam enervarentur definitiones dogmaticae, quod haeresibus panderet viam; brevi etiam leges ecclesiasticae postponerentur, quod propensiones schismaticas suscitaret et corroboraret.

Dixi : nisi ex peculiari et essentialiter revocabili Ecclesiae concessionem; nam :

1° Papa permittit potestatem ut non prius suae Constitutiones promulgentur, quam principes earum authenticitatem recognoverint. Ita concessit Urbanus VI, tempore magni schismatis, ob varias constitutiones a variis de Papatu contententibus quae tunc passim divulgabantur; sed adjecta fuerat conditio, ut solum de authenticitate judicarent, et eas authenticas non praesumerent irritare. Item, anno 1593, Alex. VI concessit Ferdinando et Isabellae idem privilegium, quoad indulgentias pontificias in Hispania, quia tunc nonnulli falsas, turpis quaestus gratia, proferebant.

2° Papa concedere potest principibus, ut quasdam